



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

6. Indiculum de servis fugacibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

discurrentis, ille Rex Francorum vir inluster. Cognoscatis iste præfens ille ad nos venit, & nostra commendatione expetivit habere, & nos ipso gratante animo recepimus vel retenemus. Propterea omnino vobis rogamus atque iubemus ut neque vos neque juniores neque successores vestri ipso vel homines suos, qui per ipso legitimi sperare videntur, inquietare nec condemnare nec de rebus suis in nullo abstrahere nec diu nec nocte non præsumatis nec facere permittatis. Et si talis causa adversus eo surrexerit ut ost . . . fuerit & ibidem adimpletis vos absque eorum in quo dispendio minimè definitas fuerint, quod ante nos separare vel reservatas, & talis causa ante nos finitivam accipiant sententiam. Et ut certius credatis, manu nostra subter adfirmavimus, & de anolo nostro sigilavimus.

Indiculum de servis fugacibus.

VI. Dilecta Dei, sponsa Christi, socia sanctarum virginum meritò coæquanda, inlustris Deo sacrata illa, ille. Deus scit in quantum valeo in omnibus in Christo amore amicus & bene cupiens vester illud imprimitus quod plurima sunt salutem in Domino optamus vobis in quantum totus mundus fulget in gloria, aut si fieri potuisset quòd tota membra vertissent in lingua. De ceterum cognoscat dilecta caritas vestra, sicut nobis dictum fuit, eò quòd homines vestri nobis confugium fecerunt, & nos auditum habemus ubi esse debeant. Propterea apices nostros vobis direximus, si vestri homines sunt, Misso vestro ad nos dirigere faciatis, & quantum nos potevimus hac causa diligenter procuramus ut ipsos homines recipere faciatis.

Donatio ad casam Dei pro Missas canendo.

VII. Igitur ego in Dei nomine ille venerabilibus fratribus illo & illo. Admonet mihi amor Domini nostri Iesu Christi & desiderium de illo paradiso ubi iusti habitant, ut me Dominus ibidem participare dignetur, seu & timor gehennæ, ut me exinde Dominus eripere jubeat. Propterea cedo vobis ad die præfente ad mea elemosyna faciendo à pauperibus vel à sacerdotibus ad Missas canendo dispensando, cessumque in perpetuo esse volo, & de jure meo in jure & dominatione vestra transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meæ tam in civitate illa quam & foras in ipso pago seu & in alios. Habent ipsas terras cum omni superposito de longo tanto, similiter in lateri & in frontis sub-

Tom. II.

jungit de ambobus frontis & de ambobus lateri terra illius, ipsas res & casas superpositis ad integrum seu & vicinis in oppidum civitate illius cum terra proprietatis mei. Habet ipsa vinea arpennes tantos. Subjungit de ambobus lateri & ambobus frontes terra illius. Etiam & in ipso pago in agro illo portione mea, tam terris, mansis, domibus, ædificiis, vineis, olivis, filvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, quicquid in ipsa loca portio mea est, totum & ad integrum rem inexactam & aliam rem quantumcunque visus sum habere aut inantea laborare potuero, tam peculium, præsidium utriusque generis sexus, aurum, argentum, drappalia, æramen, utensilia, mobile & immobilibus, quicquid dici aut nominari potest, ubicunque visus sum habere, medietatem ad integrum, ita ut ab hodierno die habeatis, teneatis, & in mea elemosyna dispensando liberam & firmissimam ad die præfente in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis verò, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis de heredibus meis, vel ullus quislibet ulla opposita persona qui contra hanc cessionem istam venire conaverit, & à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus vobis unà cum socio fisco auri uncias tantas, argentum pondo tanto esse multando, & præfens cessio ista omni tempore firma permaneat.

Supplicatio ad Regem.

VIII. Inclito atque præcellentissimo Domino illo glorioso Rege, ego ancilla vestra ultimissima, servissima omnium ancillarum vestrarum. Cognoscat, Domne, gratia vestra hominis vassi vestri nomen ille multas inquietudinis & contra rationis ordines servientes sanctæ illius, qui in vestra mercede in regimini ordinasti, habere hos faciant, & nulla justitia apud ipso illo consequere posso. Propterea, Domne, supplico, & si ante vestra præsentia fuisse, genua flexa ad terra prostrata ad pedes vestros suggerere mihi ancilla vestra oportebat & in vestra mercede & amore Deo vel illos sanctos cujus famulas nobis exinde defensare juberitis ut contra malicia contra servientes ipsius sanctorum vel me ancilla vestra facere non debuissent. Domine, nostrum est ad suggerendum. Vestrum est ad ordinandum quæ exinde justitiam recipere debeamus, pietas vestra est nobis.

Indiculum.

IX. Suggestendo Domino piissimo at-

N n